5

DE PASSIONE DOMINI

PAVLI PETOELLI

Carmen.

AD NICOLAVM TRACANELLVM.

SVPERIORVM PERMISSV.



VTINI, MDCXV.

Apud Petrum Lorium.

NICOLAO TRACANELLO
SEMINARII AQVILEIENSIS
Proregenti

Viro præcellenti, eidemq; admodum Reuerendo

PAVLVS PETOELLVS
S. P. D.

QVÆ Superioribus cineralibus ſcripſerim de Paſsione DOMINI, exire volui inſcripta tibi, quem vnicè diligo, vereorq; vti debeo plurimum, quique egregia pietate, in primis ſapias IESVM CHRISTVM, oblecterisq; odore hoc

 vno

vno myrrhæ, cuius faſciculum ò vtinam & mea inter vbera commoretur. Suſceptum à me conſilium iſtic docendi, quòd, dimiſerim, ſi tibi probabitur, meq; de meliori nota commendabis Ioanni Baptiſtę Piccino Canonico Aquileienſi viro perilluſtri & admodum Reuerendo, iſtiusq; celeberrimi Seminarij, ſecundum ILLVSTRISS. ac REVERENDISS. FRANCISCVM BARBARVM PATRIARCHAM AQVILEIENSEM, amplificatori, atq; conſeruatori; mihi ſanè quidem gratiſsimum feceris. Vale, meq;, vt ſoles, dilige.

Vtini Idibus Maij M DC XV.

DE PASSIONE DOMINI.

QVI trino omnipotens, ſeq; vno Numine gaudet,
Quem circũ niuei ſemper modulantur Olores,
Aeternum & ſocias ducunt ad plectra choreas;
Delitias hominem (nec quid ſperaret habebat
Vnica pròh bonitas) miro dilexit amore.
Cum vigor ipſe patris Cęlo delapſus in aluum
Virginis intactæ, mortales induit artus,
Vt tantos hominum nexus diſſolueret, iras
Sedaret Patris, lucem Lux ipſe tenebris
Afferret, cæliq; viam via & ipſe doceret;
Vtq; daret vitam, mortem ſic vita ſubiret,

Iuſſa

Mors vt vita foret letali morte peremptis.
Iam paſſurus erat poſt tot miracula IESVS,
Iuſſa duodeni quando ſolemnia fratres
Illuſtri ſtrauere loco de more parentum!
À Cœna, & pedibus lotis ſedere, Magiſter
Quos ipſe & lauit, manibus terſitq; miniſtris.
Hos inter medios diſcumbens dulcis IESVS
Tales emiſit ſacro de pectore voces.
Nil mihi in optatis ſocij prius extitit vnquam,
Quàm manducare hoc vobiſcum Paſcha ſupremũ,
Vt vos in primis, deinceps ordine nati
Eximium noſtri pignus referatis amoris,
Quo dare nil poßit maius qui temperat orbem,
Ex nihilo & nutu genitor qui cuncta creauit:
Sollicita vt genitrix etenim, quæ ſanguine natos
Nutrit, quem in niueum lac, vis decoxit amoris;
Sic dare ſe miſeris nequeat mortalibus eſcam
Optimus ipſe pater, quando ſit corporis expers;
Mortale hoc voluit natum me ſumere corpus.
Et quia parturiens, diris cruciatibus vltro
Hanc animam linquens hominum delicta piabo,

Ne

Ne lacte infantes careant: fuſoq; cruore
Morte obita, ut latices adſint genitricis; iniuit
Ipſe modum, pleno ut manent de pectore noſtro,
Vnde recens valeant geniti exaturarier omnes.
Quo pacto fieri hoc poßit, nunc ipſe docebo.
Accipit, his dictis, panem, manibusq; refringit,
Et benedicit agens gratias, mox porrigit illis
Dicens, manducate, meum hoc eſt corpus idipſum,
Tradetur quod pro vobis, multisq;: ſubinde
Accipiens calicem dixit, ſanguis meus hic eſt
Pro vobis itidem crucis effundendus in ara.
Hunc bibite, hæc noſtri memores facietis & ipſi.
Eſte Sacerdotes. Veſtri ſeruate magiſtri
Et formam, & rerum ſpecies, ſeruetur ab omni
Quem Petrus rerum caput, atq; ex ordine Patres
Inſtituent, natosq; volent ſacrarier aris.
Munere pro tanto, cælum quo dignius vnquam
Nil habet; hæc rurſus vobis in morte relinquo
Iußa quidem ſeruanda Patris, ne vincula amoris
Quis violet mutui, noſtro ſignanda cruore.
Pectora ſed curnam cerno mærentia veſtra?

Et

Et vado, & venio dixi ad vos. Surgite, eamus.
Perfidus interea queſtus mercator, odores
Effuſos arabum, greſſus tendebat ad alta
Atria Pontificum, Dominum quis venderet auro,
Cum vada torrentis Cedron traiecit IESVS,
Et Gethſemanì vndenos iam villula fratres
Celabat monitos orarent terq; quaterq;,
Ne fallax dubias caperet tentatio mentes.
Non procul hinc aberat denſis cũ ſepibus hortus,
Quò cum diſcipulis verus ſecedere doctor,
Et ſupplex Patrem precibus placare ſolebat.
Huc ſecum duxit Petrum, fratresq; Iacobum,
Et quem diligeret purum, caſtumq; Ioannem.
Hortus vt is fuerat, primis vbi læſus ab annis
Extiterat genitor; poſtremis hortus & eſſet
Hic vbi placatus iuſtas deponeret iras.
Quid mea nũc anima hic agimus? Diſceſſit IESVS
Pro nobis paſſurus abit; nos ocia ludos
Curarum expertes, prorſus ſectamur inanes?
O noſtri obliti nimium, noſtræq; ſalutis,
Quos tantum pietatis opus non excitat. Ergo,

In

In quem ſeceſsit Dominus, pergamus in hortum,
Et tantos grata doleamus mente dolores.
Non ne vides, poſitis genibus ſudore madentem
Sanguineo, & triſtes dantem de pectore voces?
Seq; mori vt clamet diris angoribus actum,
A ſe terq; calix, potis eſt ſi, vt tranſeat oret?
Dulcis IESV animæ ſolus dulciſsima IESV
Cura meæ; terret numquid te mortis imago?
Currere non ne viam ipſe gygas fortiſsime quondam
Exultaſti? reſpondent non ne vltima primis?
Mortis amara, tibi quin ſunt dulciſsima, quæq;.
Angeris iccirco ad mortem, ſudorq; per artus
It tibi ſanguineus, fructus quòd mortis ad omnes
Non tranſituros cernis. Tibi ab vbere raptos
Heu dulces natos clamas, Ideoq; parentem
Hîc te extrema pati. Pròh hominis demẽtia vecors.
Qui ſuo in interitu lætetur, geſtiat, idquè
Nequaquam imprudens, quin ipſe ſciensq; volensq;
Negligat à matre oblatam, fugiatq; ſalutem
Sanguineis ſpretam lacrymis quam lugeat ipſa.
Faſcina, ne mentem ſtudia in contraria vertant

Hic anima, hic generoſa tui reminiſcere, vultus,
Dum ſubit atq; tibi tantæ pietatis imago
Profuſis lacrymis madeant noctesq; diesq;,
Grataq; in amplexus properes genitricis amatæ,
Ore ſugas vitam dulci depectore anhela
Pectore quod cernes patefactum cuſpide amoris.
Sed curnam veluti iactis radicibus hæres,
Nec repiſcis adhuc curnam ſcelerata Iuuentus?
Iam bis reſponſum audiſti, quem quæritis adſum,
Bis tamen ipſa cadis retro. Præſentia cur non
(O nimium, nimium inſignis vecordia) ſentis
Numina tanta? Datur poſtquam non ſurgere donec
Dixerit ipſe tibi, liceat, iam poſſe tenebris
Tantum immane nefas lucem comprendere; ſed non
Horum (ſic volo, ſic iubeo) vel tangere quemquam.
Proditor, his dictis, ſurgit, conſurgit & omnis
Conſternata cohors. Boreas non turbine tanto
Ingruit. Hæc oculis ſpectare, aut ore referre
Ecquisnam poterit? rumpuntur corda dolore
Tortos dum funes, pedicas, dum vincula cerno.
Sputa quid & ſanas? ictus? quid dicta minaci

Ore?

Ore ? Silebo, ſilet quando ſapientia Patris,
Nec prius alloquitur quàm cum fortiſsimus heros
Irrumpens Petrus ferro proſternit, & vrget
Obuia quæq; , acies diſtrumpit ; totus in enſem
Inſurgit, partes caput vt diſcindat in ambas
Malchi, qui ante alios mitem ſæuiret in agnum.
Ictus ſed fallens hoſti diuerberat aurem,
Quam lapſam ſubito tactu ſanauit IESVS,
Amplius, & ne animis Petro ſæuiret iniquis
Iuſsit ; quin celerem vaginæ vt redderet enſem.
O' mihi qui ſolui nolis dulciſsime IESV
Nectantur vinclis valeant vt corda nec vnquam
Diſſolui à te vincta meo Dominoq; , Deoq; ,
Sint amor, atq; timor nexus, ſint dulcia iuſſa,
Vt tibi ſim ſemper præſto per tela per ignes ;
Sim tecum lacrymans hinc ad quæcumq; traharis
Atria Pontificum, Regis, vel Præſidis ; adſim
Et tibi pendenti, genitricis queſtubus atq; ;
Omnia, quæq; gemens, memori poſt corde recondam.
Stat Petro interea, vinctũ quem turba magiſtrũ
Indignis violenta modis ad mænia ducit,

Ponè ſequi, & cunctis caput obiectare periclis.
Traditur in primis Annæ ſeruandus IESVS,
Concilia à media Cayphas dum nocte vocaret,
Dumq; Sacerdotes, ſcribæ, turbæq; frequentes
Rumpentes quaſcumq; moras Palatia adirent.
Siſtitur hic Agnus (vinctum nam miſerat Annas)
Conſurgunt primo reducem, regemq; ſalutant
Deinde manus, linguasq; truces in iurgia ſoluunt.
Dictis inquirens Cayphas cum talibus infit.
Dic mihi, qui fallax facias te hominemq;, Deumq;,
Ritus qui euertis patrios, ſcelerate magiſter
Diſcipulos habeas quosnam, doctrina quid iſta
Et ſibi falſa velit turbas qui erroribus imples?
Olli ſedato reſpondit pectore IESVS.
Non ego in occulto quicquam, ſed aperta locutus
Sum muado: docuitq; palam ſeruanda volenti
Explorare, mei iuſſumq; capeſſere Patris.
Scitaris quid me? ex ijs qui audiuere repoſcas;
Ipſi namq; ſciunt fuerim quæcumq; locutus.
Hæreſis infecte huc, macula vel ſchiſmatis adſis
Et veri intendas aures ad dicta magiſtri

Cur

Cur occulta doces? Cur nulli audita priorum
In medium profers latebris meditata ſub imis?
Cur Dominum colaphis cædis ſcelerate iubentem
A ſe qui audierint vt perconteris ab ipſis?
Tradita tu ſiquidem tentas vitiare parentum,
De templo vt ſenſus teſtes torſeres magiſtri,
Quæ quia nil facerent malè conuenientia; Cayphas
Iurato duxit verum disquirere ab ore;
Quo tamen audito, demens exarſit in iras;
Quiq; ideo, ac veluti immeritos diſcidit amictus,
Sic miſer ipſe fidem partes diſcindis in omnes,
Non tibi, ſed ſoli fuerit quæ credita Petro.
Quòd ſi noſſe Deum Petrus, Dominumq; negauit
Vocibus, atq; minis inſanis territus; Ales
Vt cecinit Dominusq; prior reſpexit inertem,
Exijt inde tamen quamprimum, & fleuit amare.
Præuenit ergo Dei charitas, concurrimus ipſi,
Deſerimus vitia, & flentes commiſſa piamus.
Saluatur Petrus ſed cur, damnatur Iudas?
Non quia non æquis oculis ſpectarit & ipſum,
Inſuper & dictis quem compellarit amicis,

Sed

Sedquia retro abijt; caſum quin fleuit IESVS
Qui pius,& clemens vellet ſaluarier omnes.
Cur pereunt igitur? Nolunt ſaluarier omnes.
Non facit ipſe velint, ſed cur Deus, omnia quando
Quod voluit ſemper licuit, ſemperq; licebit?
Libera ne impediat cogens arbitria mentes.
Vult Deus, ipſe velis, ſatagas ſalueris & ipſe,
Siq; viæ ignores quid, percunctabere Petrum
Qui docet audita, & viſa, & ſibi credita ſoli,
Siq; eſt à vero erratum, hunc imitare dolentem,
Qui tantos oculis fontes deduxit aquarum.
O mihi des lacrymas oculis, ſuſpiria cordi
Dulcis IESV animæ requies gratiſsima noſtræ,
Qui toties læſus, toties miſeratus iniqui es,
Inſtar dum pecoris præter labentia pronus
Immemor heu cæli conſector, totus inhærens
Eſt vbi nulla quies fictis, ſemperq; caducis.
Tædia nec pariunt quæ angunt, fugiuntq; ſequētem.
O deliranti dabitur reſipiſcere quando,
Ad cęlum tandem rectos & tollere vultus
Oblitosq; procul patrios ſpectare penates?

Huc

Huc vbi pro meritis euinctus tempora ſertis
Læta canit, plectro fidibus nec diſcrepat vnquam
Voce chorus ſocia, te ipſo fruiturq; ſupremo
O vno, vero, æternoq; bono optime IESV.
Sed mihi pertentant miſero cur gaudia montem,
Si clamant crucifige nefas? ſi more furentum
Hic volat in barbam, ſacra & furialiter ora
Expuit? Illuſtres fœdo velamine vultus,
Ille tegens te abigit pedibus, pedibusq; remittit,
Turpia & indecoris ſociat conuicia linguæ?
Quin malè te affectum doleam, idcircoq; dolentem
Cauſa dolenda tuum, quòd non doleam ipſe dolorem;
Talia ne videant quando vel ſydera cęlo
Diffugiunt, Aurora nouo nec ſurgit eoo,
Oraq; nil ſiccat lacrymis rorantia noctis.
Iam Sol luctiſonis aderat vix ipſe quadrigis
Inuectus radijs perquàm lugubribus, atro
Difficilem vt terris lucem præberet amictu,
Cum ſubito ſcribæ, Seniores gentis, & omne
Concilium properant vinctum deducere IESVM,
Præſidis vt iuſſu moriatur, ne amplius vnquam
Inuiſum

Inuiſum terris nomen memoretur IESVS.
Tot mala per totam perpeſſus triſtia noctem,
Sanguine perfuſos oculos, mentumq; decorum
Vulſum, atq; ora gerens maculis liuentia miris,
Huc rapitur, currat quamuis ſed triſtis IESVS.
Inſonti ſcribæ vertunt; Quòd Cęſaris vllum
In gentem neget imperium; turbasq; fatiget
In leges, ritusq; nouos, patriosq; refringat;
Seq; Deum faciat, Deus vt iubeatq;, vetetq;
Hunc ſeductorem proin ſe adducere, pœnas
Exigat vt meritas, turbentur ne ocia gentis;
Cæſareas leges, ritus ſi ſpernat auitos.
Talibus incuſant. Prætor ſe auguſtius vnquam
Nil vidiſſe putat, vocem prorſusq; ſonare
Nil hominem cenſet. Miratur cauſa tumultus
Quid ſibi tanta velit tacitis totumq; pererrat
Luminibus ſtantem; rurſus ſtupet. anxius ergo
Ne quid agat temere, inſontem dimittere tentat.
Sed foris vt crucifige nefas, crucifige merentem
Fas, & Iura volunt, tollatur perfidus, audit
Clamantum voces diras; obſtare furori

Nec

Nec potis eſt ratio aut tantos ſedare tumultus;
Se explicat, Herodisq; virum ad Palatia mittit.
Iamq; trahebatur vinctus quà vectus aſello
Senos ante dies fuerat, celebriq; triumpho,
Obuia cui exierat palmis, oleæq; racemis,
Veſtibus & ſtratis lætanti carmine turba
Expectatus adeſt clamans, Benedictus Oſanna.
Ecce venit mitis, timeas ne filia ſion.
Mente hominis leuius ſed nil, mutatur vt aura;
Stupea honorato poſtquam circumdata collo
Vincla, virumq; rapi cernit per aperta viarum,
Hunc euerſorem legis, ritusq; parentum,
Hunc ſeductorem dicit, falſumq; prophetam.
Siſtitur Herodi iampridem optatus IESVS,
Quem cupit audire, & fieri ſibi ſigna; Roganti
Sed tibi non verbi ſacras audire loquelas,
Cuius tu vocem clamantis perfide nuper
Saltibus extinſti impuris, nec ſigna videre,
Nec dabitur ſanctum canibus, porcisue pyropus.
Alba quapropter deluſum in veſte remiſit.
En cæcæ mentes hominum. Sapientia cæli

Et ſplendor Patris, tenebræ, dementiā habetur
Oblitis rerum; falſa ſub imagine veri
Quos tenet ambitio infelix, vecorsq; cupido;
Exuit, eſt hominis ſi quid, turpisq; voluptas.
At IESVS indulgens, patiens, ſemperq; benignus
Hoſtiles animos Regum componit, & æſtus,
Pontio & Herode vt nil ſit coniunctius ipſis.
Pilatus reducem lætari munere vitæ
Dicere & hunc dignum. teſtis Rex, atq; lacernæ
Candor, quo induit inſontem. Proin Iudice Rege
Iras hortari vt ponant, neu Numina lædant,
Hunc iuſtum violare nefas hominemùe, Deumùe
Prenſaſti ſiquidem Ponti virtutis amore,
Pro imperio, hæc eadem ſed te compeſcere falſa
Inuidiæ facibus, diroq; agitata veneno
Pectora mandabat; veras & reddere voces
Vt noſti, ſic, te veras audire loquentis
Non exire foras decuit. Veſtigia retro
Sed quæ fert hominum ambitio; dum Cæſaris aſtrum
In fenſum tibi ne facias, popularis & aura
Ne te deficiat dubitas; prob fasq; nefasq;
Vertere.

Vertere, teq; ſcelus miſerum patrare coegit
Vlli quo nunquam licuit committere maius.
Crudelis magè quàm quæ admorunt vbera tygres,
Vndiq; non cernis ſacrum decurrere riuis
À capite ad plantas, madeat quo terra, cruorem,
Stringis in inſontis ſæuas dum vulnera faſces?
Ah carnes curnam cæſas quas purpura velet
Diripis heu veſti hærentes, cur viſcera nudas,
Sacraq; dumoſo conſtringis tempora ſerto?
Ò monſtro horrendo immani iam terra dehiſcat,
Si nulla irato iaculantur fulmina cælo.
Sic igitur iuſtum prodes, hoſtiq; necandum
Trades vt ſubeat mortem quamcumq; piandam
Terribilem, horrificam, immanis quã iuſſerit hoſtis?
Dilacerandus erat canibus iam traditus Agnus,
Detrahitur morſu rabido, cum coccina dorſo,
Quã ſequitur ſanguis, quæ hærent, parteſq; ſequũtur
Vulneris, atq; nouo refricatur vulnere vulnus,
Sæuit & inde magis, quia, quæ eſt ſuper addita veſtis,
Indurata riget primo madefacta cruore,
Et caput, heu, ſacrum bis fixis ſentibus horret.

Me miſerum, lacero pondus ſuperadditur ingens
Heù dorſo crucis, vt poßit nil maius haberi,
Ipſa non ſi vel cæli ſub mole laboret.
Buccina præibat clangens, moriatur IESVS
Contemptor legum, ſeductor, Cæſaris hoſtis,
Vexilliq; ſinus fluitantes, magna ſenatus
Romani & populi pandebant nomina vento.
Ponè ſequebatur lictor, faſcesq; ; miniſtri
Craßis cum clauis, terebra cum dente tenaci
Forcipe, & his medius horrebat malleus ingens,
Expectatus adeſt inter cum triſtè latrones
Poplite non firmo, confractus membra labore
Qui incedit Dominus, pompa conſpectior omni.
Fœminei queſtus, lacrymæ comitantur euntem.
Irrident rurſus ſcribæ, latantia ſoluunt
Ora ſacerdotes, adſunt ſolatia quando
Quæ optarunt menti; hæc eadem maiora ſed eſſent
Si grauiora pati, quàm quæ patiatur IESVS,
Atq; nouos alios poſſet perferre dolores.
Interea properans decurrit tramite mater
Quà via perducit cęcam ad caluaria turbam,

Quæ

Quæ deformatum poſtquam ſub pondere natum
Vix tandem agnouit, ſubito correpta dolore,
Deliquioq; ruit. Subeunt labentia matres
Pectora, & ora modis tergunt pallentia miris,
Quo datur atq; pio adſunt fœmineo vlulatu.
Talia cernenti nato tremor occupat artus,
Deficiunt vires, ſtringuntur forcipe dira
Corda ſimul, pronusq; cadit ſub pondere quercus.
Tam malè qui affectus iaceas, tollendus IESV
Ad quem confugies? Mater iacet ipſa; nequitq;
Talia & hæc oculis quamuis non aſpicit æquis,
Sed tamen ipſe Pater ſacris te deſtinat aris.
Hic ego nec quicquam valeo, tibi ſarcina quando
Heu grauis, & tanti princeps ſum cauſa laboris.
O' tibi turba crucem præceps quæ detrahit, atq;
Te leuat, hoc, vno faceret pietatis amore.
Impia ſed verita eſt, hic ne moriare priusquam
Cunctorum patiare crucis tormenta malorum.
Virginis interea refouebant pectora palmis,
Laxabantq; ſinus matres num carperet auras
Vitales dubiæ; reſerat cum lumina virgo.

Sed

Sed nullas acies poſtquam, non vidit IESVM
Suſpirans, imòq; trahens de pectore vocem,
Ergo ne me miſeram exclamat nec cernere matri
Ora ſui licuit, genitor, morientia nati?
Quòd tibi non libuit, matrem ſe offerier vltro
Ante aram ſtantem, libuit nec vulnere eodem,
Vulnere quid dixi? àh tantis cruciatibus, ægram
Morte obita & matrem manes ſimul ire ſub imos
Eſto. ſed licuit, ſi quis ſuper halitus eſſet
Ore ſui legiſſe, manu & clauſiſſe ſuprema,
Qua ſaltem decuit morientis lumina Nati.
Vos, ſi qua ò pietas tangit, me ducite matres,
Quàq; via eſt breuior quamprimum ſiſtite monti.
His dictis, trepidos greſſus tendebat ad aram;
Impia ſed poſtquam tetigit caluaria plantis,
Tertiùm & exuto populatas corpore carnes,
Tertiùm & affixis capiti iam ſentibus, imbrem
Sanguineum ſtantis vidit decurrere nati,
Exanimata cadit, totoq; expalluit ore.
Hic ſibi paratam poſtquam conſpexit IESVS,
Admotamq; crucem, gladio traiectus eodem
Pectora

Pectora quo caræ cernit traiecta parentis
Oſcula libauit ligno, ſuper atq; reſedit.
Heu quid agat? truncis ſeriuntur terga ſoluta,
Et lacerantur adhuc, caput haud reclinarier actæ
In venas ſpinæ toties patiuntur acutæ.
Expanſis manibus pęnas ſe linguit in omnes.
Et cęlum ſpectans paucis ſic ore precatur.
Hic tua nunc genitor peragam quàm iuſſa libenter,
Dilaniata tui teſtentur viſcera nati.
En mortem ſubeo. iratam precor exue mentem.
Talia dicenti dextram transuerberat ictus,
(Horreſco referens) diſtractæ moxq; ſiniſtræ
Malleus in clauum nulla pietate reſultat.
Iam læſas virus partes peruaſerat omnes,
Sacraq; perpetuo torpebant membra rigore,
Cum violenta manus, ſocia & ſimul addita reſtis
Diſtrahit attractum (heu pietas) miſerabile corpus,
Quosq; ſuo remouetq; loco crudeliter artus.
Et ſuper impoſitas configit cuſpide plantas
Sæpe repercuſſi claui; nil triſtius vnquam
Igniuomens ſonuit tantis incudibus Aetna.

Excita

Excita terribili ſonitu, ferturq; , ruitq;
Exanimis genitrix confixi in vulnera nati,
Qua tamen amota, tollunt clamore miniſtri
Ad cęlum manibus, ſcalis, humerisq; trabale
Imponuntq; ſolo, firmantq; foramine lignum.
Aſt clauis pendens validis venerabile corpus
Linquitur in pondus, nulloq; iuuamine creſcunt
Vulnera laxa magis, creſcunt ipſiq; dolores.
Hos inter ſummos pacem, veniamq; precatur
Ignaris rerum; Queritur ſe à Patre relictum.
Matrem commendat ſobrino; ipſumq; parenti.
Largitur veniam oranti, cęlumq; latroni.
Seq; ſitire & adhuc clamat. Potatur aceto.
Iam conſummatum dicit; clamore ſupremo,
Commendans animam Patri, deponit eandem.
Cuſpide crudeli transfixo pectore teli,
Sanguis & vnda fluit noſtræ reparamina vitæ.
Nigranti ſubito cęlum velatur amictu;
Succutitur tellus. Petræ ſcinduntur adactæ
Ictibus alternis. obita iam morte reſurgunt
Corpora Sanctorum. tumuli reſerantur, & ipſum

In

In partes velum Templi diſcinditur ambas.
Interea ſtaret quamuis ſine viribus vmbra vt
Ponè Crucem genitrix abiens cruciatus, in omne
Martyrijq; genus furijs agitata doloris,
Non ideo aut diſciſſa comas, aut vnguibus ora,
Aut dabat indecores triſti de pectore voces;
Quandoquidem ſciret ſe hominē genuiſſe, Deumq;,
Idq; Ideo vt pateretur homo. Quin talia pridem
Iam canus, veneransq; aurata in veſte ſacerdos
Cum puer aſtaret primis, prædixerat, aris.
Hinc fuit vna eadem nato, matriq; voluntas,
Cuius & inſtantes ideo quòd viderat ante
Compaſſa heu fuerit tantos hucusq; labores.
Sæuitiam queritur, queritur crudelia fata
Quæ diram maneant gentem, ſemperq; rebellem
At lacrymis, mixtoq; ſimul madefacta cruore
Humentes lacerata genas, diſcerpta capillos
Magdalena crucem ambobus complexa lacertis,
Quòd nequeat ſolitas labijs contingere plantas
Altius affixas, exclamans oſcula figit

Sæpe iterata cruci ; ſinuato poplite inanes
Vt lacrymis terras complet ſic queſtubus auras.
Felices nimium lacrymæ ; felicia & ipſa ,
Quæ picturantur roſeis velamina guttis
Pendentis Domini mittunt quas vulnera; amantis
Purpureo vt lacrymæ penſentur ſanguine amati .
Nec mirum cornix fætens ſi facta columba
Multa gemens, lacrymans, tundens & pectora; vicit
Mox candore niues, arabum fragrantia odores .
Hic ego te genibus flexis Rex maxime Regum,
Cui ſolium, tituli, dantur diademata, ſceptra,
Purpura, conuiuæ celebres , libamina cantus .
Crux, claui, ſentes, diſſectis vndiq; venis
Effuſus ſanguis, ſannæ, myrrhata , latrones ;
Vbera faſciculum myrrhæ precor vſq; moretur
Hoc inter mea , meq; vno hoc oblecter odore .
Mens inimica mihi nunquam . dominetur , vbiq;
Heu verear ne me linquas . Matriq; Ioanniq;
Vt curæ ſim; ad te clamem noctesq; diesq; ,
Te iuuet vt meminiſſe mei ; ſitiasq; ſalutem
Cuncto-

Cunctorum quandò, ah ſcelerum tollatur amaror,
Dulcia virtutum vt ſapiant tibi pocula; Noſco
Eſſe ad extremum ventum, tibi nil datur vltra
Conſummata tua eſt pro me patientia quando.
Mitto quòd tellus, pontus, cælum, æthera, venti,
Quæq; inibi varia exiſtunt animantia præſto
Vni ſint homini, pro quo ſint cuncta creata.
Aureus excurrat mitto per inane, nec vnquam
Quòd ſol deficiat Domini dum viſat amores;
Alternaq; ſoror reparans noua cornua luce,
Sydereis homini cęlo tot nictet ocellis.
Mitto quòd inſanas rapiant nec talia mentes.
Sed te hominem fieri prcme, ſic tradier ipſum,
Me vt moneas, ducas, lactes, foueasq;, miniſtres
Vt Dominus ſeruo, vt viuam moriaris & ipſe;
Deficio, ſtupeo, haud capio, hic vox faucibus hæret.
Tu ſummi Regis celebri decorata triumpho
Vnica ſpes hominum, cordis ſolamina noſtri,
Fac ſperem, timeam, ſapiam Crux ſancta, loquarq;
Quanta homini dederit Deus hîc meditanda fideli

Te mihi præſtetur facili vt ſubeamq; , feramq; ,
Atq; meo iacias radices corde ſub imo
Firmas vſq; adeo, vt diuelli non detur vnquam
Donec nexu vno tandem ſiſtamur eidem ,
Qui te amplectens, & me complectatur IESVS.

Laus Deo.

F I N I S.

83-545383